



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Clemens Pap. M. 23. Novemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

ros à superstitione oculos sanctiori prius
baptismatis undâ elueret. Eluit, & vo-
ti mox compos formosissimum multâ-
que luce vestitum Ephebum vidit : qui
serto nobili utrumque coronavit, &
precantes miro odore perfudit. Et fecit
hic odor post Christum currere etiam
Tiburtium Valeriani germanum, ambo-
que ita in stadio Christiano cucurrerunt,
ut bravium Martyres obtinerent. CÆCI-
LIA è balnearum, quas tyrannus succen-
derat, flammis pulchrior, tribusque in
collo vulneribus velut totidem monili-
bus ornatior, cum triduum supervixif-
set, ædesque suos in templum vertisset.
Martyrum vestigia velut paranympho-
rum insistens, cælum & ipsa petiit, &
Agnò denique nupsit minimè sterilis vir-
go, ut quæ moriens uno partu Christo
cccc. peperit. Ex Metaphr.

*Sunt plurima, quæ Angelis placent, &
eos in nobis invenire delectat; ut est sobrie-
tas, castitas, paupertus voluntaria, crebri
in cælum gemitus, & orationes cum lacri-
mis & cordis intentione. Super omnia uni-
tatem & pacem à nobis exigunt Angeli
pacis. S. Bern. l. 1. de S. Mich.*

S. CLEMENS PAP. M. 23. Novemb.

PRodiit CLEMENS è D. Petri scho-
lâ : virtutis primò magistri, tum in-
fulæ etiam heres inter Pont. Max. ter-
tius

734 VITÆ SANCTORUM. 23. *Nec*
tius numeratur. Impietatis sub Traiano
accusatus, & in exilium ultra Euxinum
Pontum deportatus, munere suo nec in
eâ quidem fortunâ oblitus est fungi, do-
cuitque bis mille Christianos, quos ad
latomias tyrannus damnaverat, præter
saxa è terrâ patientiam eruere, ad quam
verbis & exemplo erexit, & miraculis
firmavit. Etenim cum aquæ dulcis pe-
nuriâ laborarent, eamque petere per VI.
milliaria cogentur, CLEMENS è
proximo manare copiosam iussit, cum
ipse Servator familiarem sibi Agnum
indutus dextro pede & omine fontis in-
diciam fecisset. Porro cum aquâ longè
lateque miraculum emanavit. Etiam ad
trecenta milliaria fanâ Deorum evertē-
bantur, undisque sanctis quingenti quo-
tidie tingebantur; cum denique Procol.
Aufidius Pontificem anchoræ illigatum
in mare præcipitavit. Emicuit tamen
ingens animus, & ad portem cæli ena-
tavit. Ad preces deinde Christianorum
mare cessit ad tria millia, structumque
in imo à Cælitibus Martyri templum tu-
mulumque è marmore ostendit, itera-
to quotannis deinceps hoc miraculo:
quod auxit puer quandoque à parentibus
per errorem illic relictus, annumque
totum incolumis servatus. Frustrâ igitur
tyrannus mergere laudes Clementis
mari voluit. Anchoram suam Martyr
cælo fixit. *Ex Metaphr.*

Ecce

Ecce beatus Clemens homo erat similis nobis, & carni suæ eodem vinculo naturalis affectionis inhaerens; si ergo ille calicem salutaris accepit, quid nos retribuimus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? eadem certè insignivit imagine, eodem sanguine nos redemit. S. Bern. serm. de Clem.

S. TRUDO CONF. 23. Novemb.

IN Hasbaniensi agro spinas inter, hoc est, divitias patrias, educatus flosculus TRUDO suffocari tamen minimè potuit, quin caput supra nubes puer tulit, eoque altius, quò profundius in se descendit. Itaque servulis suis inservire dominum TRUDONEM vidisses. Quam virtutem ut tegeret, vilissimos corpori vestiendo pannos iniecit. Porro omnia etiam quæ per ludum egit, egit serio. Quare cum tumultuario opere & congestis temerè saxis facellum extruxisset, futuri operis sui hoc typum & votum voluit esse, quod reapse postea in prolecta atate persolvit. Placuisse & operam & artificem puerum, calum ostendit, cum mulieri improbae ædificium ludicrum disturbanti oculos eripuit: quos tamen, ubi primum facinus animo vidit & agnovit, reddidit Trudo. Egenis tã favebat, ut suas cum illis vestes communes haberet, & ut illos indueret.